



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 2. Principum, ac Procerum sententia circa succesionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1589.**

devolvebatur: ast hæresis, quam palam profitebatur, Principes, Proceres, plurimosque Belliduces absterrebat, quo minus unanimi consensu in Navarri electionem conspirarent: hinc die secunda Augusti noctu habito consilio, quid in præsentis rerum vicissitudine agendum, inter se deliberabant.

§. II.

*Principum, ac Procerum sententia  
circa Successionem.*

*Thuan. l. 97.*  
*Daniel hist.*  
*de France*  
*tom. 7.*

*Davil. t. 10.*

Sanior æque, ac potior pars ita censebat: „Regni diadema quovis demum periculo Navarræ Regi assertatur, nulloque pacto hujus Principis jura, ac lex falica violentur: nec aliud superest medium ad vitandi Regni divisionem; secus enim illud in tot dividetur Reges, quot numerantur Principes, vel armis potentes, aut successionis jus sibi attribuentes, seu demum se tyrannico exterorum Principum imperio subjicere necesse erit: nunc vero hac in occasione facile apprehenditur, quod Deus hujus Principis causæ patrocinetur, eumque ad solium manu ducat; is enim urgente Regni necessitate milites contraxerat, pacem cum Proceribus inierat, ac non sine prodigio sua jura armis defendendo parem sese reddiderat: exacte igitur

„tur Christianæ legis præcepta adim-  
 „plent illi, qui hæc æternæ Mentis  
 „consilia sequuntur, ac futuri eventus  
 „incertitudinem cælesti dispensationi  
 „omnia temperanti committunt: imo  
 „ipsa etiam lex divina præscribit, ut  
 „Principibus quoque dyfcolis obtempe-  
 „retur, nec illi suis juribus priventur:  
 „porro Navarræ Rex æquitate,  
 „ac sinceritate eminent, proin sub ejus  
 „regimine nec violentum, nec tyranni-  
 „cum quid est timendum, sed prudentia  
 „moderatum regimen omnino exspe-  
 „ctandum, ubi absdubio sperari licet,  
 „quod rursus unicuique, quicquid cre-  
 „dere voluerit, credendi libertas in-  
 „dulgeatur, prout hucusque ea cuili-  
 „bet permiffa fuit: denique Gallicæ No-  
 „bilitatis indignum foret, si rebellium  
 „signa sequi vellet, econtra autem tot  
 „generosorum Belliducum fama crescet,  
 „si Regis sui sanguinem ab ipsis suis  
 „subditis profusum ulcisci, ei vero, qui  
 „jure nullatenus dubio legitimus ejus  
 „hæres est, Regni possessionem servare  
 „voluerint.

Ceterum alii longe diversa sentien-  
 tes unanimi suffragio ita censebant:  
 „præprimis Religioni Catholicæ prospici-  
 „endum, majorque ratio habenda est,  
 „ut Dei leges ferventur, quam homi-  
 „num edicta in usum deducantur, cum

A 2.

„fem-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1589.

**Sæcul. XVI.** „semper animæ salus cunctis rebus ca-  
**A.C. 1589.** „ducis, ac terrenis præferenda veniat,  
 „nam omni etiam ævo, ubi de Regno-  
 „rum successione agebatur, præva-  
 „lebat Religio, hæc enim a lege natu-  
 „ræ, successio autem duntaxat a priva-  
 „torum hominum Constitutionibus, & po-  
 „sitivo Nationum jure dependet: insuper  
 „notum est omnibus, quod tunc, quam-  
 „primum Angliæ Princeps veram Re-  
 „ligionem abjecerat, mox Catholico-  
 „rum defectio subsequuta fuerit, totum-  
 „que Regnum sese sacræ Sedis obse-  
 „quio subtraxerit: bella autem, & ca-  
 „lamitates, quæ forte exinde timen-  
 „tur, brevi finiuntur: ex adverso  
 „salutem perdendi periculum amif-  
 „sa vera fide a Patribus ad filios, & de-  
 „nique ad omnes posteros propagatur:  
 „unde in tanti momenti negotio ni-  
 „mium complacendi studium certe dam-  
 „num nulla ætate reparandum procrea-  
 „ret: dyscoli, atque a vera fide alieni  
 „Principes equidem tolerandi sunt, si  
 „semel regnum quiete possederint, non  
 „autem id fiat, quando de sceptro il-  
 „lis recens conferendo, atque iis pri-  
 „mum in Reges nominandis agitur:  
 „præterea cuncti Regni Ordines, nec-  
 „non ipsemet Rex defunctus Navarræ  
 „Regem, ut fidem Catholicam ample-  
 „cteretur, hortabantur, hancque in  
 „rem

„rem nec preces, nec rationes etiam  
 „validissimæ negligebantur, quin tamen  
 „is vel unquam Calvinianæ sectæ ve-  
 „nenum evomere voluerit: fateri equi-  
 „dem oportet, hunc Principem doti-  
 „bus ad rotandum sceptrum necessariis  
 „præditum esse, nimio tamen studio  
 „suzæ hæresi addictus forte conscientis  
 „vim inferre, se obstrictum existima-  
 „bit: proin in præsentis rerum vicissitu-  
 „dine futura sollicitè veniunt prospici-  
 „enda, nec ullo pacto Christianissimum  
 „Regnum a debito Ecclesiæ Catholicæ  
 „obsequio, aut a Sedis Apostolicæ obe-  
 „dientia separandum est.

## §. III.

*Proceres Navarræ Regem ad ample-  
 tendam fidem Catholicam  
 sollicitantes.*

**B**ironius Marescallus, Lucemburgicus, & Espernonius Duces aliorum sententiæ suffragabantur, qui Henricum Borbonium in Franciæ Regem esse salutandum, eique obsequia præstanda, atque illum in hac dignitate colendum, tuendumque censebant, dummodo ipsum ejurata hæresi Catholicam fidem amplexurum, Catholicosque protecturum constaret: præcipue cum ea fuerit voluntas defuncti Regis, qui paulo ante obitum suum Navarræ Regem legiti-

Davi. l. 10.

Aubign. t. 3.

l. 2. c. 24.